

SUBSTANTIVORUM.
REGULÆ GENERALES.

Prima Regula.

In um & A pluralia Neutra sunt, cujuscunq; sint significationis: *ut, Templum, Rhenum, Comum, Latium, ligustrum, arma, Bactra, Susa.*

Synthesis tamen interdum mutat Genus, quando ad intellectum refertur constructio: *ut, Senium, qui me hodie remoratus est, Mea Glycerium.*

Secunda Regula.

In I pluralia Masculina sunt, cujuscunq; sint significationis: *ut, Liberi, Parisii, Philippi.*

REGULÆ SPECIALES.

Quot modis cognoscuntur Genera Substantivorum in Specie?

Duobus modis: I. Significatione
II. Terminatione.

Sed ex his Significatio derogat Terminationi.

De Significatione.

Regula I.

Nomina virorum, mensium, ventorum & fluviorum sunt Generis Masculini.

Virorum; *Adam, mas, verna, pincerna.*

Mensium; *ut Aprilis, Quintilis, October.*

Ventorum; *ut, Eurus, Zephyrus, Etesia.*

Fluvi-